

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia**

Tribus Tomis comprehensa

Opvscvla Spiritvalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae  
Christiana. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De  
Sacrificio Missae. VI. De Discretione Spirituum ... Operum Eminentiss.  
Cardinalis, Tom. I

**Bona, Giovanni**

**Parisiis, 1677**

§. 3. Oratio ante sanctissimum Sacramentum

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9969**

qua pauper ad divitem liberalem , esuriens ad convivium , sitibundus ad fontem , discipulus ad magistrum , filius ad patrem , æger ad medicum . Sit devotus affectus tuus , & fervens ; cumque corporaliter ad Ecclesiam ire ne quis justa de causa præpeditus , imitare Danielem , & tres pueros , teque ad templum converte , & preces tuas eō dirige , ac si præsens adesses , & vacuis non redibis .

v. Cum aridus es , & mentaliter orare non potes , psalmum aliquem , vel hymnum , aut canticum recita ad rem accommodatum . Poteris etiam alicujus , vel pluriū virtutum actus exercere modo infra præscribendo : poteris Litanias , aut Orationem Dominicam recitare , vel infra scriptam orationem leges , & in recessu à Christo Domino benedictionem petes , atque ei te ipsum , & omnes , pro quibus orare debes , obnixe commendabis ,

§. III. *Oratio ante sanctissimum Sacramentum.*

**A**ve dulcissime Jesu , verus Deus , & verus Homo , qui ex voluntate Patris , cooperante Spiritu sancto , te mihi nascens in socium , convescens in edulium , moriens in pretium , regnans in præmium dare dignatus es . Ave , & benedic calamitoso exuli tuo , meque recipe in tui amoris suavissimos amplexus . Avete manus venerabiles pro me cruci affixa ; Avete pedes speciosi pro me clavis confixi . Ave latus divinum pro me lancea vulneratum . Ave mitissimum cor , mei peccatoris indignissimi amore saucium . Ego pulvis & cinis , indignus conspectu tuo ob innumera peccata mea , de quibus doleo , te Dominum meum & Deum meum hic verè præsentem , omnium creaturarum possibili affectu saluto , adoro , laudo , & glorifico ; & ab omnibus amari , laudari , & glorificari desidero in æternum , & ultra . Offero tibi , Domine , in perpetuum holocaustum voluntatem meam , arborem tuam , ut nec bona velle liceat mihi , nisi tu id per superiores significes . Quid enim scit puer tuus , benignissime Pater , quid expediatur sibi , quam viam teneat cœcus

in tot periculis , & ignarus viæ? Tibi cura est de me ab æterno , tu me dirige in viam mandatorum tuorum. Si me vis esse hîc omnium minimum ut sim maximus in regno tuo , nonne infinita est misericordia tua? Si vis me in omnibus obedire , & ab omnibus contemni , sequar vestigia tua, suavissime Redemptor, qui Deo Patri æqualis, obediens ei fuisti usque ad mortem, mortem autem Crucis, & cum sceleratis reputatus es. Quod si immemor promissionis meæ , qua me tibi in servum sponte obtuli , toties optans fieri unicam voluntatem tuam , jam corporis & sensuum commoda quaro ; Si obliviscor prævaricationis meæ , & tui , Jesu, felle potati ; si honorifica affecto , & vilem me agnoscens vilis haberi nolo , quanta mihi confusio in die illa in conspectu tuo ! Absit hoc à me , Domine , ut detraham de holocausto tibi dudum oblato, ut non sequar semper voluntatem tuam. Quę est enim spes mea , & fiducia mea , & amor meus à juventute mea ? Nonne tu Domine Deus meus ? In te ergo sperans, non confundar , te sequens non errabo , te diligens non timebo. Posside Jesu bone cor meum , & reple illud gratia tua. In te vivam , in te moriar , & tam in vita , quam in morte cantabo tibi , quia bonus es , & in æternum misericordia tua. Laudent te mecum cœlum & terra , pro tot ac tantis beneficiis tuis. Tu me amasti ab æterno , etiamsi prævideres me aliquando te osurum : tu me conservasti , & redemisti , qui toties te vendidi præ vilissima creatura : tu prodigum expectasti , justificasti impium , fragilem præservasti , & fugientem proditorem tuum misericorditer vocasti , ut collocares cum Principibus tuis. Et non sufficit adhuc tanta charitas tua , ut amore liquefacat anima mea ?

Sed quod omnem superat gratiam , passus pro me extasim amoris , parasti in conspectu meo hanc divinissimam mensam , in qua carnem tuam in cibum , & sanguinem in potum tribuisti , trahens me ad te in funiculis Adæ , in vinculis charitatis.

G iiiij

Quis jam me separabit ab amore tuo ? Quis me impedit , ne me intimè tecum uniam ? Dixisti enim , Qui man- ducat meam carnem , & bibit meum sanguinem , in me ma- net , & ego in eo . O dulcissimum verbum ! tu in me , & ego in te ! O quanta dignatio ! tu in me , & ego in te ! O quantus amor ! tu in me vili sterquilinio , & ego in te sum- mo bono ! O qualis commutatio ! tu in me , & ego in te ! Quid ultra petere , & sperare possim ? Visitas nos certè in salutari tuo , ad videndum in bonitate electorum tuo- rum . Et quomodo potero declinare à te , non jugiter adhærrere tibi , qui tam copioso munere gratiæ locupletasti me , mihi que præsens semper assistis in hoc memoriali pa- sionis tuæ , in hoc compendio mirabilium tuorum ? Laudo , & glorifico te , dulcissime hospes animæ meæ , quod hoc Sacramentum in ultima cœna instituisti , & in eo permane- re nobiscum usque ad consumationem seculi voluisti . Om- nes beatorum spirituum ordines te mecum magnificant & exalent , & gratias pro me indigno referant , quod à me immundissimo peccatore attrectari , & sumi non sis dedignatus .

Gratias item ago tibi pro tribulationibus , temptationi- bus , & confusionibus , quas ad salutem meam esse volui- sti , & me offero ad hæc , & postulo veste tua indui , ob- testans per viscera misericordiæ tuæ , ut retribuas illis , qui suo forte crudeli damno , & pœna tibi luenda , tantum bonum mihi attulerunt . Cupio tecum bajulare crucem , nudus nudum sequi , in te vivere , pro te mori . Hæc est ultima voluntas mea velut hodie morituri , coram te ju- dice , & patre amantissimo , & curia Sanctorum , quos testes habebo infidelitatis & tepiditatis , si deterior eva- sero . Averte Domine , & dele in me servo tuo quidquid tibi dispiçet . Fac ut temporalium omnium fastidium ha- beam , cum hæc satiare nunquam possint . Tu vero Domi- ne , omne bonum es , quies , & felicitas mea , & sola sa- tietas animæ meæ . Quis ergo mihi tribuat , ut te solum diligam , te quærām toto corde , te in omnibus amem ,

qui in omnibus es , & operaris ? Veni, bone Jesu, Jesu dulcissime, suavissime, pulcherriime, potentissime, sapientissime, gloria mea , & exaltans caput meum : veni , & ure cor meum , inebria me charitate tua , & fac me unum tecum , sicut tu , & Pater unum estis. Dispone & ordina de me creatura tua secundum beneplacitum tuum. Tuus enim sum , & esse volo in sœcula sœculorum. Amen.

§. IV. *Modus orandi in ingressu Templi.*

**C**um aliquod templum ingrederis, primò adorabis aurum gustissimam Trinitatem, sanctissimum Sacramentum, & Sanctos quorum reliquiae , & imagines ibi sunt, præsertim ejus Ecclesiæ Patronum. Secundò , gratias ages Deo pro donis gratiæ in hac vita , & gloriæ in altera Sanctis illius Ecclesiæ collatis , & pro omnibus beneficiis , quæ fidelibus concessit petentibus in illa Ecclesia. Tertiò , gratias ages iisdem Sanctis pro bona vita quam egerunt , dum Deo in hoc sœculo servierunt ; & pro beneficiis quæ impetrarunt supplicibus suis , & devotis hominibus orantibus in templo illo. Quartò , congratulaberis Deo , & sanctissimo Sacramento , & Sanctis illius loci , de felicitate quam habent in gloria cœlesti ; & de honore , qui illis exhibetur in terris , præsertim in eo loco ; & de bonis operibus , quæ ibi sunt. Quintò , dolebis de omnibus peccatis , quæ ibi & alibi committuntur contra Deum, sanctissimum Sacramentum , & Sanctos illos. Sextò , petes à Deo per merita Christi Domini in Sacramento existentis , & omnium Sanctorum illius loci , ut remittantur peccata, præsertim quæ ibi committuntur , vel ibidem aperiuntur in Confessione, vel sunt commissa & confessa , utque eis detur gratia non amplius peccandi : ut exaudiat orantes in ea Ecclesia , si expediatur ad eorum salutem ; tibique concedat quod petis : ut à Purgatorio liberet animas , quarum corpora ibi quietescunt : ut det tibi gratiam sanctè vivendi , & ad gloriam pervenienti , quemadmodum illi Sancti vixerunt & perseverunt : ut ea largiatur , quæ peti solent pro lucranda,